





QUESTIONES MISCELLÆ,

EX VARIIS  
VTRIVSQUE IV-  
RIS MATERIIS

depromptæ;

Quas

Divinis Affluentibus Radijs

PRÆSIDE,

NOBILISSIMO  
VIRO, DN. DIONYSIO  
GOTHFREDO, JURISCON-  
sulto celeberrimo, & LL. Antecessore  
in Academia Argentinensi  
dignissimo.

Publici exercitij causa, hora locoq; cons-  
uetis, pro tenuitate ingenij de-  
fendere conabitur Die 26 Jan.

LVDOVICVS AB HALLWEIL,

ARGENTORATI,

EXCVDEBAT IODOCVS MARTINVS.

MDCCCLIII.



MAGNIFICIS,

NOBILISSIMIS ET STRENU.

*issimis Viris, ingenio, prudentia multarumq;  
rerum usu præstantissimis:*

DN. IOHANNI WOLFGANGO  
AB ANWEIL; ILLUSTRISSIMI DVCIS  
Wirtembergici etc. Consiliario & Aulæ  
præfecto prudentissimo. etc.

DN. WOLFGANGO IACOBO Rothaffe  
in Hohenberg/ze.

DN. GEORGIO WOLFGANGO à Kal  
tenhal in Aldingen/ ze.

*Dominis Curatoribus & Patronis suis, omni  
reuerentiæ & obsequij cultu pro  
sequendis;*

*Hasce theses devotissimè honoris & ob-  
servantiæ ergò dicat, dedicat*

RESPONDENS.

THESIS. I.  
DE IVSTITIA ET  
Iure.

**L**vs nostrum scriptum est, aut non scri-  
ptum. (a) Pars istius quoq; Lex est. (b)  
Hinc primum locum sibi vindicet dubia  
hæc concertatio: An scriptura pertineat  
ad legis essentiam? Quod negandum exi-  
stimamus, (c) ad legis tamen evidentiam pertinere  
cum nonnullis affirmamus. (d)

a) §. constat, autem 3. Inst. de Iur. N. G. & C. l. 6. ff. de Iust. &  
Iur. b) d. §. 3. & §. Lex. 4. Inst. de Iur. N. G. & C. l. 7. ff. de  
Iust. & Iur. c) Imperator enim dicendo legem quoq; condit. l. 1.  
§. 1. ibi. vel cognoscens decrevit vel de plano inter locutus est. & c.  
ff. de constit. princip. 2. Responsa prudentum pars Iuris scri-  
pti dicuntur. §. constat. 3. & §. responsa. 8. Inst. de Iur. N. G.  
& C. hæc autem responsa etiam sine scripto fiunt. l. 2. §. his §.  
ibi quod sine scripto & c. & §. ita in Civitate 12. ibi. quod sine  
scripto, etc. & ff. de Orig. Iur. 3. Leges scribi ceperunt. §. sin-  
gul. 11. in fin. Inst. de rer. divis. Leges ergo fuerunt antequam  
scriberentur. 4. Optimè facit huc, quod Græcis  $\nu\epsilon\lambda\phi\epsilon\alpha\upsilon\ \nu\omicron\mu\omicron\varsigma$ ,  
Nihil aliud est quam ferre, promulgare, decernere leges.  
S. Lacedæmonij magis ea quæ pro legibus observarunt, memoria  
mandarunt. §. & non inelegant. 10. Inst. de Iur. N. G. & C. Hinc  
etiam lege Lycurgi cautum erat, ne Leges scriberentur Plutarch.  
in vit. Lycurg. Cic. pro Flacco. d) Leges ~~scribi~~ namq; tantum  
hanc ob causam in scripturam rediguntur, ut si publicè proponan-  
tur, possint apertius percipi, quæ alias difficulter pervenirent in  
notitiam populi. ut ergo lex à vulgo possit dici existere, scriptura

A 2 requi-



151  
requiritur. l. 2. §. postea. 4. ibi. *V*ti possent apertius percipi ff. de  
Orig. Jur. l. humanum. 8. ibi. Collectis omnibus recenseri. & l. seq.  
ibi. prescripto earum manifestius cognito. C. de legibus l. obser-  
vare. 2. ibi. in notitiam etc. C. de Decurion. L. 10. Wesemb. in par-  
num. 5. C. de legibus Treut. vol. 1. disp. 1. th. 5. b. *V*lt. ad. §.  
const. 3. num. 3. Inst. de Jur. N. G. & C. Forst. part. 1. disp. 1.  
th. 34. sed vide Niell. disp. Feud. 1. th. 2. a.

II.

*Ad leg. ut vim 3. ff. de Iust. & Jur.*

Vim vi repellere omnia iura permittunt. (a) Et qui-  
dem in tantum, ut etiam pro defensione pudicitiae re-  
cte quis occidatur. (b) Verum an haec defensio ad res  
quoq; sit extendenda non iniuria, à Dd. nostris du-  
bitatur? nos regulariter negamus, nisi rerum possessor  
in vitae discrimine positus sit. (d)

a) Lex enim nata non lata est. h. l. ut vim 3. ff. de Iust. & Jur.  
l. itaq; 4. in princip. l. sed et si 5. in princ. l. scientiam 45. §. qui  
cum aliter 4. vers. vim enim vi ff. Ad. l. Aquil. l. 1. §. vim vi  
27. ibi. Ius natura ff. de vi & vi arm. Hinc defensor proprie sa-  
lutis in nullo peccare dicitur. l. 1. 2. & 3. C. ad legem Corn. de  
sicarijs. c. significasti 18. in fin. ibi. omnia iura permittant, extra  
de homicidio. P. H. O. Carol. 5. art. 139. & sqq. Dn. Harp. ad  
§. item lex 5. num. 112. & sqq. t. de publ. lud. in tract. crimin.  
b) argumento d. l. ut vim 3. ibi corporis ff. de Iust. & Jur. iunct.  
l. isti quidem. 8. §. quod si. 2. ff. quod metus causa. item per l. 1. §.  
item Divus. 4. ff. ad l. Corn. de Sicar. Quemadmodum enim vita  
semel amissa, amplius reparari nequit, sic virginitate semel le-  
sa, suscitari post ruinam nequitiam potest. c. Si Paulus 32. quaest.  
§. Huc illud Ovidij: Nulla reparabilis arte est, lesa pudicitia.  
Dn. Bocer. cl. 5. disp. 1. th. 27. c) 1. Quia vita hominis pretiosi-  
or est

or est rebus l. sancimus 21. ibi quoniam non absurdum est ani-  
 mas hominum etc. C. de SS. Eccles. 2. Nulla proportio inter ho-  
 minem & res l. iustissime. 44. ibi ridiculum namq. esse. ff. de A-  
 dilit. Edict. 3. Vbi remedium ordinarium ibi non erit recurrendum  
 ad extraordinarium. l. in causa. 16. ff. de minor. Turbatus au-  
 tem in sua Possessione habet remedium ordinarium scilicet, ex l.  
 Iul. de vi publica. §. item lex Iul. 8. Inst. de publ. Iud. tot. tit.  
 Dig. ad l. Iul. de vi publ. & vi privat. argumento l. extat. 13.  
 ff. quod metus causa. Donell. 17. comment. 2. in princ. 4. Per  
 cap. perfodiens 3. ibi. qui ad furand. & ibi. ideò non debet occi-  
 di. extra de homicid. c. suscepimus. 10. d. t. 5. argumento. l. si  
 ex plagis. 52. §. in fin. ff. ad l. Aquil. l. furem. 9. ff. ad l. Corn.  
 de Sicar. l. si pignore. 54. §. furem. 2. ff. de furtis. l. 5. in princ.  
 ff. ad l. Aquil. d) L. 1. ibi. iuculpatæ tutela moderatione. C.  
 unde vi. l. si ut allegas. 4. ibi. qui inferendæ cædis voluntate præ-  
 cesserat. C. ad l. Corn. de Sicar. l. 1. ibi. mortem quam minaba-  
 tur. C. quand. liceat unicuiq. & c. l. 3. §. eum igitur. 9. ff. de vi  
 & vi armata l. sed & 12. §. 1. in fin. ff. quod met. causa. c. 2. ibi.  
 te tuaq. extra de homicid. P. H. D. Carol. 5. art. 150. vers.  
 item. So einer zu rettungen eines andren Leib/Leben/oder  
 Gut jemandt erschlägt iunct. rubr. Hernach werden etliche  
 entleibungen in gemein beriert/ die auch entschuldigung  
 auff in tragen mögen/ so darinn ordentlicher weiß gehan-  
 delt wirdt. Quæ vocabula Ordentlicher weiß/moderânen in-  
 culpatæ tutela satis innuunt. Schneid. ad. §. 1. num. 13. & ibi.  
 Wesemb. in addition. Inst. de Iur. Nat. G. & C. Dn. Harp.  
 in d. tract. crim. ad §. item lex Corn. 5. num. 135. & seq. tit. de  
 publ. Iud. Fachin. 1. cont. 31. Treutl. 1. vol. 2. disp. 3. th. 6. h.  
 Hackel. disp. 1. th. 3.

DE

## DE LEGIBVS.

Princeps legibus solutus est. (a) Vnde orta est ista hæc disceptatio: an princeps ex plenitudine suæ potestatis pro lubitu absq; ulla iusta Causa, res subditiis suis possit auferre? Et nisi publica vtilitas adsit, (b) refuso insuper iusto precio, hanc potestatem ipsi denegatam esse dicimus. (d)

a) l. princeps. 3. ff. de. ll. hinc omnia principis esse dicuntur. l. ult. C. de quadriennij præscript. quibus rationibus Angel. Perusinus motus (ad l. item si 15. §. 1. ff. de Rei vendi.) in hæc verba prolapsus, inquit, mentiuntur per gulam, qui principem potestatis plenitudine utentem, ab aliquo rem suam auferre non posse affirmaverint. b) l. Lucius enim ff. de eviction. l. 2. §. Cassius autem. 3. ibi. publica autorit. ff. de aqua & aqua pluvia arcend. l. edificia. 14. C. de operibus pub. toto. tit. C. pro quibus caus. seru. pro præm. libert. accip. l. 2. C. de comm. rer. alienat. c. cum Apost. 6. §. prohibemus etiam extra. de censib. c. 2. de præbend. in 6. c) l. venditor. 13. §. si constat. 1. ibi. nisi prius solitum salarium & c. ff. comm. prædior. l. servi. 2. ibi. ut eorum dato præmium à Fisco percipiant. C. pro quibus caus. seru. pro præm. & arg. l. 1. 2. & 3. ff. de l. Rhod. de iact. Hinc princeps subditorum res emere debet non iniuria auferre. tit. de pace constant. c. sententia quoq; §. nobis autem ibi mercatum sufficiens & ibi Dn. Præses. Dn. Obrecht. disp. feud. 5. 9. 38. & sq. commodissimè huc refertur notabile exemplū punitionis Achab Regis, qui absq; ulla iusta causa Nabotho vineam eripuit L. 3. Reg. c. 21. iunct. L. 4. Reg. c. 9. & 10. d) Angelo Perusino opponimus quoq; illud. Ezech. c. 46. vers. 38. Non accipiet, ait Dominus, princeps de hereditate populi per violentiam & de possessione



sione eorum &c. Dominus Præses ad Novell. 105. c. 2. §. fin. in  
 verb. leges. latè dominus Harprecht ad princ. tit. de rer. divis.  
 & acquir. ips. dom. num. 94. & multis sqq. Gædd. disp. Feud.  
 7. th. 4. d. Myns. cent. 4. obs. 8. & cent. 5. obs. 97. Gail. 2. obs.  
 56. Removendæ ergò sunt vanæ istæ Voces, plenæ impietate,  
 imprimis matris Iulia Antonij Bassiani Caracalla, Si Libet,  
 Licet, an nescis te Imperatorem & Leges dare, non accipere.  
 Forst. in Histor. I. civil. diabolica etiam verba detestanda Isabel-  
 læ, dum inquit, quale nam regnum Israelis, si plenam potestatem  
 non babes. L. 3. Reg. c. 21. vers. 7. Execrandi quoq; sunt aulicis  
 isti adulescentes, assidue principum auribus occinentes obstre-  
 pentesq;. Quicquid principi placet pro lege observandum. Hæc  
 namq; sunt propria Tyranni, non boni Principis, qui dicit se pos-  
 se facere quod honestè potest c. fin. de rescript. in 6. c. faciathomo.  
 22. quæst. 2. Gl. in clement. sæpè in verb. poterit. de verb. sig-  
 neq; sibi quicquam placere, nisi quod iustum. argumento l. fin. C. si  
 contra i91 vel, util. publ. etc. & ca. iustum est. 2. dist. 9. cum  
 ea, quæ ledant Principis existimationem et Maiestatem, eundem  
 facere non posse credatur. argumento l. filius. 15. in fin. ff. de con-  
 dit. instit. Vnde sibi laudi non vitio Imperatores duxerunt, pote-  
 statem quam habent ex l. Regia, eandem legibus submittere l. di-  
 gna vox. 4. C. de legibus, quippe cum princeps à Deo constitutus  
 sit, ut faciat Iustitiam & Iudicium L. 3. Reg. c. 10. vers. 10. qui  
 verò Iustitiam administrat, alijs Iniuriam facere non debet. De-  
 mosth. Quinimò privato plura permitti, quam principi scribit  
 Bl. ad l. 91. ff. de hered. Inst.

## IV.

## De Adoptionibus.

Datus extraneo in adoptionem in familiam eius  
 non transit. (a) Haud intempestivè ergò quæritur. An  
 plebe

95  
plebeius à Nobili adoptatus, Nobilis efficiatur? Et ta-  
lem hodie Nobilem non effici, (b) nisi ab avo mater-  
no adoptatus fuerit, existimamus. (c)

a) Quod iure antiquo secus fuit, vii patet ex princ. ibi in po-  
testate natura sunt quos adoptamus. Inst. de adopt. verum hoc  
Ius correctum videtur à nostro Imperat. Iustiniano per l. pen. in  
princ. vers. sancimus per adoptionem, ibi. sed ita eum permane-  
re quasi non fuisset in alienam familiam translatus. (Vbi voca-  
bulum quasi innotat proprietatem, quod saepius fit in Iure nostro  
arg. l. constitutionib. 33. ib. quasi iunct. l. omnes 26. ff. de Oblig. &  
Act.) Et maxime in §. sed ne artic. 1. vers. cum enim per omnia  
naturæ suæ filium aggregaverimus C. de adopt. ac probatur hæc  
sententia per text. ex press. in §. 2. Ibi nec in potestate eius est.  
Inst. de adopt. Filius quidem Adoptivus ab extraneo suo pa-  
rente emancipari potest. d. l. pen. §. 1. vers. sed siquidem, ibi.  
nulla interveniente emancipatione. C. de adopt. qua ratione pa-  
tria potestas quasi præsumitur. arg. §. præterea Inst. quibus  
mod. Ius pat. pot. tol. attamen emancipatio saltem fit, respectu  
successionis, quæ per eandem tollitur. d. l. pen. §. Sin autem 2. C.  
d. t. Cum sui heredes etiam ab Intestato sint. §. 2. ibi licet ab In-  
testato Iura successionis &c. Inst. de adopt. Non verò respectu  
patriæ potestatis, quæ nunquam per adoptionem patri extraneo  
acquisita, per quam tamen, successio filio adoptivo primitus ac-  
quiritur per d. Iura. Nunc qualis causa talis effectus. Optime  
facit huc, quod filius adoptivus revera non fit filius, sed saltem  
PENE l. fin. in fi. C. de impub. & alior. substit. b) Illustran-  
tur quidem adoptivi, non nihil ex nobilitate parentum, arg. l. per  
adopt. 35. ff. de adopt. Vnde latè, fictione scil. iuris, legales No-  
biles dici possunt, cum adoptio naturam imitetur. §. minorem. 4.  
Inst. de adopt. Nobiles tamen naturales non fiunt. Nobilitas enim  
que

quæ à parentibus in filios transit veluti è traduce est: adopti-  
vi verò de sanguine parentum non sunt. Hyppol. à Collib. de  
Nobilit. Aphoris. 32. Hinc Tiraq. intract. de lur. primoge-  
nit. quæst. 84. num. 7. tradit, quod non comprehendantur sta-  
tutis quæ de filiis loquuntur, cum non proprie sed fictè adoptivi,  
filij dicantur. Et hæc hodierna consuetudo optima legum inter-  
pres approbat. De lure quidem veteri efficiebantur per l. scien-  
dum. 32. ff. de Ritunupt. l. per adoptio. 35. l. in omni. 13. l. qui  
in 23. ff. de adopt. l. senat. 5. l. sq. & l. liberos. 10. ff. de senat.  
l. 1. §. cognationum. 4. & ibi. Dominius præses. ff. Vnde cogna-  
ti. c) Per d. §. 2. Inst. de adopt. d. l. pen. inpr. vers. si verò  
pater naturalis. C. d. r. Treutl. vol. 1. disp. 2. th. 10. & vol. 2.  
disp. 15. th. 5. Hyppol. de Collib. d. loco Tiraquel. tract. de no-  
bil. c. 15. num. 5. & 6.

V.

### DE SENATORIBVS.

Quid vero dicendum si Nobilis plebeio se in adopti-  
onem vel arrogationem dederit? Et cum Nobilitatem  
amittere negamus.

Per adoptionem enim dignitas non minuitur. l. per adopt. 35.  
ff. de Adopt. & Nobilis qui se in adoptionem dedit filius manet  
Nobilis patris l. senatoris. 6. & §. 1. & l. sq. ff. de senator.  
maximè cum Iura sanguinis Iure Civili dirimi non possint l. Iu-  
ra. 8. ff. de R. l. Adoptio autem Iuris civilis est. Faciunt huc  
notata ad th. præced. lit. a. ubi probavimus filium in patris  
potestate & familia eiusdem manere.

VI

### De commercijs & mercatoribus.

Lubet hic aliam non in elegantem aspergere quæ-  
stionem, an videlicet Nobiles mercaturam seu nego-  
tiationes exercere possint?

B

Generaliter equidem traditur, si Nobiles mercimonia exer-  
ceant, vrbibus istud esse perniciosum, siquidem opibus & poten-  
tia sua commerciorum vtilitatem totam ad se trahant, nec ita  
liberè & audacter plebei et negotiatores, si Nobiles fuerint, inter  
se contraherent. l. Nobiliores 3. C. de commerc. & mercat. l. si  
cohortalis. 12. §. vlt. C. de cohortal. L. 12. l. vnic. C. negociat.  
ne milit. l. ne quis. 6. C. de dignit. L. 12. Merito itaq; Nobili-  
bus à mercatura abstinendum. Mercatores enim qui publicè  
mercimonijs præsent, humiles abiectaq; personæ dicuntur. l. hu-  
mitem. 7. §. 1. C. de incest. & in vtil. nupt. l. 1. C. de nat. li-  
ber. eosdem quoq; ad turpia lucra pronos esse, inquit l. iustissi-  
mè. 44. §. proponitur. 1. in fin. ff. de edil. edict. quæstus autem  
omnis, secundum Livium, patribus indecorus visus est: Imò  
virtutibus mercatura est inimica. Aristotel. L. 7. polit. cap.  
9. cum tamè Nobiles ex virtutibus à Plebeis noscantur. Hyppol.  
à Coll. de Nobilit. Aphor. 8. Hinc etiam de Iure nostro (con-  
suetudine enim contrarium ser vatur. D. Obrecht. disp. de Iudi-  
cijs ch. 255. & sqq.) ad dignitates & gubernacula Rerumpublica-  
rum non admittuntur. d. l. ne quis. 6. C. de dignitatib. lib. 12.  
nisi in defectum aliorum. l. eius qui. 12. ff. de Decur. ratio autè ab  
Impp. Theod. & Valent. in d. l. 12. §. vlt. C. de cohortaz hæc  
affertur, ut omnis honor atq; militia à contagione huiusmodi se-  
gregetur. Verum si consuetudine aut more alicuius regionis (ut  
apud Anglos, Hispanos, Venetos & Genuenses) contrarium  
observaretur, pro Iure istud erit habendum: et maxime quidem,  
cum emere & vendere sit luxis gentium, proindeq; omnibus licis-  
tum arg. l. Gracchus. 4. C. ad L. Iul. de adult. Quid si fructus  
ex fundis proprijs natos vendant? & neq; hoc casu leges locum  
habebunt. Poterunt né autem per seruos seu Institores mercimo-  
nia exercere? Et trita regula est, quod quis suo nomine  
prohi-

prohibetur, id nec per subiectam personam agere debere l. 2. §. 1. de administr. rer. ad Civit. pertin. l. 1. C. quib. ad conduct. præd. Fisc. acced. non liceat. l. 11. c. quod alicui. 67. de R. J. in 6. Huius tamen regula autoritas non multum valet, cum hodiè Principes, Comites, & Nobiles per homines suos negotiationes exercent, arg. l. fin. ff. de excus. tut. teste Mynsing. cent. 6. observ. 54. Dn. Prasas ad d. l. Nobiliores 3. C. de commerc. & mercat. Dn. Bocer. in prælect. suis de Regal. Niell. disp. 2. th. 6. lit. a.

## VII.

## DE SERVITVTIBVS.

Controversum fecerunt Dd. an servitute nulla constituta, aperto pariete communi, fenestram, ex qua in alienum invito Domino prospiciamus, habere liceat, quod infitemur.

Per l. luminum. 4. l. eos qui 40. ff. de Servit. urban. præd. Vbi communem parietem intelligimus confinem, non qui sit duorum sociorum. arg. l. quidam. 33. §. parietem. 1. l. fistulam. 19. ff. d. t. facit huc. §. in corporalia. 3. ibi fenestra & luminum. l. 2. Inst. Caij. Deinde in alterius aedes nihil quicquam sine iure constituto immitti potest l. sicuti. 8. §. Aristo. 5. ff. si Servit. vend. Secundum Xenocratem autem nihil differt, pedesné an oculos in alienam domum quis immittat. Wesemb. in par. ff. de Servit. præd. urb. num. 4. Duar. 1. Disp. 33. Cuiac. 1. observ. 31. Forst. part. 1. disp. 7. th. 7.

## IIX.

## Familia Herciscundæ.

Inter liberos pro rata faciendâ est divisio, quo ad bona à parentibus accepta. (a) An vero quoq; quo ad sumptus filio studiorum gratia suppeditatos? nos pro filio respondebimus. (b)

B 2

a) l. inter. 11. C. fam. hercisc. b) Quia miles filius bona à patre accepta conferre non debet l. filius 4. C. fam. hercisc. l. 3. C. de Castrens. pecul. l. 12. studiosi verò aequè sunt milites, ac isti qui gladijs, clypeis & thoracibus nituntur. l. advocati. 17. C. de advoc. divers. judicior. 2. per l. que pater. 50. ff. fam. hercisc. Vbi filius emancipatus in rationem portionis, à patre concessa, non computat, multominus ergò filius in sacris paternis adhuc constitutus: erga quem tamen patris affectio maior, maior pietas est. 3. Parens tenetur alere liberos suos l. si quis 5. & tot. ff. de agnosc. & alend. lib. Ergò & impensas studiorum conferre l. qui filium. 4. ff. vbi pupill. educ. deb. in qual. statuitur. Si pubes pro sorore sua alimenta & mercedem ratione institutionis in liberalibus artibus præbuerit, nihil eo nomine puberi esse præstandum. Ad quam l. vide Dn. Præsidentem, vbi ita argumentatur: qui tenetur alere, tenetur etiam sumptus studiorum præstare: cuius argumenti Consequentia inde patet Sumptus studiorum inter necessarios sumptus referuntur. l. Macedon. 5. C. ad SC. Maced. & quemadmodum alimenta præstanda, quæ tamen in collationem non veniunt: sic & in studia & ceteras impensas necessarias debet impendi pro modo facultatum, ac consequenter neg. in hisce collatio instituitur l. de bonis. 6. §. non solum 5. ff. de Carbon. Edict. Quod etiam extendimus ad honores, dignitates & Doctoratus impensas per l. 1. §. sed an id. 16. ff. de collat. honor. l. si filia. 20. §. idem scribit. 6. ff. fam. hercisc. Dn. Bocer. el. 2. disp. 13. th. 28. Wesemb. in par. ff. fam. hercisc. n. 5. in fin. Accursj. ad l. filia 18. C. d. tit.

IX.

## DE REBUS CREDITIS.

In potestate debitoris est, ne accipiendo se creditori obstringat. (a) Vnde satis anxie quaritur à Dd. nostris:

(b) am. Joh. no. p. o. illi

stris: an exceptio non numerata pecuniae post biennium opponi possit, si reus contrarium probare paratus sit. (b) negamus.

a) l. qui pecuniam, 30. ff. de reb. cred. (b) 1. Quia etiam heres pupillus (qui alias persona est privilegiata) elapso biennio tenetur debitum solvere l. si intra 8. in fin. C. de non num. pecun. quod sanè haud affirmaretur, si exceptione posset vii. Deinde quomodo iustum erit putare, inquit Iustin. in Nov. 136. c. 6. in fin. ita dissolutum extitisse aliquem ut quae data non essent, pro datis manu propria scriberet. Hinc etiam actores Iureiurando post tempus definitum non gravantur. d. Nov. 136. v. 6. l. in contractibus. 14. in pr. ibi nullo modo & §. illo 3. C. de non numerat. pecun. Cum tamen Iuramentum sit quoque probatio. l. fin. §. licentia. 20. C. de Iur. delib. l. si duo 13. §. Idem Iulian. 2. ff. de Iureiurand. praeterea negantis naturaliratione probatio nulla est, l. asseveratio 10. C. de non. num. pec. quippe cum actori semper incumbat probatio l. ei incumbit. 2. ff. de probat. Adhuc favore imperfectae aetatis Iustinianus noster constituit, quod exceptio non numerata pecuniae adversus minorem ab initio non currat l. fin. C. in quibus causis integrum restit. necessar. non est. Quo ad ceteros ergò regula in contrarium erit, de qua videlicet exceptio tantum datur. Insuper vix abest ut non videatur alienare, qui tanto tempore silet arg. l. alienationis 28. in pr. ff. de verb. Signif. (quo respexisse etiam videtur Iustinianus in d. Nov. 136. c. 6. supra ratione 2. alleg.) maxime cum boni patris familias sit, quotannis semel rationem suae substantiae inire: secundo verò anno agere incipere, quod quidem nisi faciat, rectè dicetur alienare, & sic pro negligente puniri: cum iura diligentibus & vigilantibus sint scripta arg. l. pupillus 24. vers. In verò, ibi. quoniam alij creditores suae negligentiae expensum

B 3

ferre debeant ff. quæ in fraud. cred. unde damnum quod quis ex sua negligentia sentit, nullum censetur arg. l. 203. ff. de R. & J. quod abunde probat quoq; materia usucapionis. Deniq; facit huc l. final. C. de Cond. ex leg. l. si sub specie. 3. C. de postuland. Dn. Bocer. Clas. 5. disp. 16. th. 19. Fach. 2. contr. 81. eleg. Arum. ad Instit. disp. 12. exercit. 12.

X.

### De Condictione furtiva.

Odio furum, quo magis pluribus actionibus teneantur, effectum est, quibus annumeratur quoq; condictio furtiva. (a) Sed an hæc condictio quoq; adversus furis heredes in solidum competat, licet nihil ad eos pervenerit, non immeritò dubitatur? Aienti opinio- nicalculum adjicimus. (b)

a) §. sic itaq; 14. Inst. de act. l. in re furtiva. 8. §. si ex. 1. & l. fin. ff. de condict. furt. b) Nam in condictioe ex causa furtiva, non pro parte quæ pervenit, sed in solidum tenemur, inquit Vlp. in l. in condictioe. 9. ff. de condict. furt. deinde quia hæc condictio rei persecutionem habet. l. si pro fure. 7. §. fin. ff. h. t. rei autem per- secutorie actiones in solidum adversus heredem dantur l. in ho- norarijs 35. ff. de obl. & Act. Et sanè ratio dict. l. 7. §. fin. frustra et inepta esset, nisi dixerimus furis heredem in solidum obligari, quippè cum & ea actiones, quæ rei persecutionem non habent, ad- versus heredes dentur, in quantum ad eos pervenit l. si plures. 17. §. ult. l. in heredem. 26. ff. de dolo malo. l. 7. §. 1. ff. de pos. proba- tur etiam nostra sententia abundè per l. prætor. 2. §. fin. ff. vi bon. rapt. Vbi vlp. existimat, ideò prætorem non dare actionem vi bo- norum raptorū adversus heredes in id, quod ad eos pervenit, quia putavit sufficere condictioem furtivam in solidum. Vltimò fur semper in re furtiva moram facere videtur. l. in re. 8. §. si ex caus. §a 1. in fin. & l. fin. ff. h. t. moræ autem effectus est, ut obligationem perpetuet



perpetuet in hæredes quoq, licet nihil ad eos pervenerit l. si ser vñ  
 9. §. sequitur. 3. & §. videndum. 4. ibi. itaq, perpetuatur obliga-  
 tio, tam in ipsorum, quam successorum suorum personam. ff. de  
 verb. Oblig. l. si à Colono. 58. §. 1. in fin. ff. de fideiuss. Dn. Harp. in  
 tract. suo crim. ad §. vlt. num. 5. & sqq. tit. de oblig. quæ ex delict.  
 nasc. Dn. Bocer. cl. 5. disp. 13. th. 50. Gail. 1. de pace. public. num. 22.  
 Dn. Arum. disp. 37. ad Instit. th. 9. Forst. disp. 20. th. 6.

## X I.

## Mandati.

Parum interest quis occiderit, an causam mortis præ-  
 buerit. (a) Quapropter nodosa excutienda venit quæ-  
 stio, num Mandans, ut percutiat, non interficiat, te-  
 neatur ordinaria homicidij poena, si mandatarius fines  
 Mandati excesserit? Negativa placet. (b).

a) l. Nihil. 15. ff. ad l. Corn. de Sicar. Damnum enim dare is  
 videtur, qui iubet dare l. is damnum. 169. ff. de reg. iur. & casum  
 huius questionis refert, Ferdin. Vasquius L. 1. cont. cap. 18. num.  
 43. b) Maleficia enim voluntas & propositum distinguunt. l. qui  
 iniuria. 53. in princ. ff. de furt. c. cum voluntate. 54. extra de sent.  
 ex com. voluntas autem mandantis fuit percutiendi, non interfi-  
 ciendi. 2. Iste qui animum occidendi non habuit, hominem tamen  
 occiderit, absolvitur. l. 1. §. D. Hadria. 3. ff. ad leg. Corn. de Sicar.  
 3. Iste qui libidinis causa fores meretricis effregerit, furti non te-  
 netur, licet fures meretricis res egresserint: cum faciendi causa non  
 factum ipsum queratur. l. verum. 39. ff. de furt. 4. Dolus in l.  
 Corn. de Sicar. pro basi & fundamēto requiritur l. 1. ff. ad l. Corn.  
 de Sicar. verum mandatarius saltem in culpa non in dolo, est. c.  
 vlt. ibi cum mandando in culpa fuerit. de homicid. in 6. quæ culpa  
 licet sit lata, in l. tamen Corn. de Sicar. pro dolo non accipitur l.  
 in lege. 7. ff. ad leg. Cor. de Sic. Quare poena ordinaria suos autores  
 egredi

egredi non debet l. sancimus. 22. §. 1. C. de poenis. 5. fines mandati diligenter sunt custodiendi; qui enim excessit, aliud facere videtur, & ipse ob hoc tenetur l. diligenter 5. in princ. ff. mand. Finaliter, Mandator cum Assasino tunc demum pari poena plectitur, si homicidium mandavit l. non ideo 5. ibi. alium se huiusmodi facti mandatorem habuisse, C. de Accusat. Fach. 1. cont. 36. Dn. Harp. ad §. item l. Corn. 5. num. 54. & sqq. tit. de public. Iud. in tract. suo crimin.

## XII.

### In quibus Caus. Pignus tacit. cont.

In vecta & illata in praedium urbanum tacite locatori sunt obligata. (a) Quod idem num de libris studiosorum, (b) Et rebus minorum, (c) in domum conductam, in vectis dici possit acriter disputatur? nos nexu taciti pignoris utriusq; res liberandas dicimus.

a) non tantum pro pensione, sed etiam pro deterioratione l. 2. & sqq. ff. in quib. caus. pig. tacit. cent. l. ult. C. eod. Quod ius moribus intro ductum est. l. eo iure utimur. 4. ff. d. t. b) In generali namq; obligatione non veniunt ea, quae quis non esset in specie verosimiliter obligaturus l. obligatione. 6. ff. de pignor. sed libri in generali obligatione (ne quidem in ultima voluntate, cuius causa tamen favorabilis est) veniunt l. supellect. 6. in fin. ff. de supellect. leg. 2. quae in usum quotidianum habentur, non veniunt tacita obligatione l. vel quae. 7. ff. de pignor. Atqui libros studiosorum in quotidiano eorum usu non esse, quis affirmabit? cum quotidie discendum, licet alterum pedem iam in circumulo habeamus Pomp. Ictus in l. apud Iul. 20. ff. de fideicom. libert. 3. Per libros tanquam muros Praeceptores in viros doctos evadunt studiosi l. pen. ff. ad exhibend. quinimo, ratione studiosorum etiam, in primis scientiae Iuris, maximas dignitates acquirunt

acquirunt l. secundum responsum, 4. ibi. amici mei C. de cons-  
 trah. stipul. l. ex Divi. 4. §. 1. ibi. & parentem meum. C. locati  
 conducti. l. unct. §. filius. 4. Inst. quibus modis ius pat. pot. sol.  
 Quae autem pertinent ad dignitates à generali locutione eximun-  
 tur l. nepos. 125. & ibi. gloss. ad verb. Salva dignitate ff. de verb.  
 Sig. Hinc etiam in executione rei iudicata libri Scholaribus non  
 sunt auferendi, sicuti nec militibus arma: quippe cum studiosus  
 sine libris & miles sine armis honeste vivere non possit. gloss. d.  
 loco. 4. Instrumenta ad agriculturam destinata, propter publi-  
 cam utilitatem tacite non obligantur l. pignorum 8. & auth. seq.  
 Agricultores C. quae res obli. poss. Ergo nec studia impedienda  
 sunt: habent enim & haec publicam utilitatem. Auth. habita. C.  
 ne filius pro patre. §. ult. Inst. proem. 5. Vestimenta in gene-  
 rali obligatione non veniunt d. l. obligatione. 6 ff. de pignor. At-  
 qui vestimenta, arma & libri sunt determinabilia. l. supell. 3. §.  
 praeterea. 2. ibi si librorum aut vestium aut armorum & c. ff. de  
 Supell. leg. proindeq. equaliter determinanda. arg. l. iam hoc lu-  
 re. 4. ff. de vulg. & pup. substit. & l. quamvis. 4. C. de Impub. &  
 alior. subst. Schneid. ad §. item Servianum. 43. Inst. de action.  
 D. Harp. ad d. §. item. num. 14. & sqq. Hackel. disp. 12. th. 5. c.  
 c) arg. l. 1. C. quae res pign. l. fin. C. de legit. tut. l. lex quae 22. §.  
 precipimus. ibi. vel pignor. C. de administ. tut. Cum res mino-  
 rum sine decreto Iudicis & curatoris autoritate obligari vel a-  
 lienari nequeant l. 1. ff. de reb. eor. qui sub. tutel. vel curat. sunt.  
 obligatio autem & alienatio sub se comprehendit quoq. oppigno-  
 rationem. l. ult. C. de reb. alien. non alienand. Nec licet regerere,  
 leges haec loquuntur de expressis, non verò de tacitis pignoribus,  
 quorum diversa ratio arg. l. expressa. 195. de R. I. cum simili-  
 bus. Verum satis notum est, maiorem vim taciti quam expressi  
 esse non posse: nam si expressum non valet, multò minus tacitum.

arg. l. cum dos 1. ff. de dot. proleg. l. interdum. 29. & ibi. Dd. ff. de Condict. Indeb. Deniq; tacitum pignus non ab homine, sed à lege inducitur. Nullus autem textus extat ubi res minorum in prædium urbanū illate communi obligatione pignoris taciti sint obnoxia. Erubescimus autem sine l. loqui Novell. 18. c. consideremus, 5. in princ.

XIII.

DE Nuptijs.

Filius emancipatus sine consensu patris uxorem ducere potest, (a) verum an hoc liberis quoq; in sacris paternis adhuc constitutis permissum sit, non usq; quaque expeditum est? Nos hoc affirmare falsum esse credimus. (b)

a) l. filius. 25. ff. de ritu nupt. b) Consensum enim parentum adhibere Civilis & naturalis (quasi duo vincula quæ summè ligant. argumento. §. sed hodie 2. in fin. Inst. de adopt.) ratio suadet, et quidem in tantum, ut iussus eorum etiam præcedere Debeat. §. 1. in pr. Inst. de nupt. cuius vocabuli debeat hæc vis est, ut etiam invito quis teneatur l. debitor. 108. ff. de verb. Sig. Facit huc l. 2. ibi. quorumq; in potestate sunt l. si nepos. 9. filiusfam. 35. ff. de rit. nupt. l. si ut proponis. 7. l. nec filium 12. in fin. l. in coniunct. 20. in princ. C. de nupt. l. vice §. oportet. 10. C. de rapt. virg. l. Paul. 11. ff. de Stat. hom. Atq; parens ideò consentire debet, ne ei invito suus hæres adgnascatur. §. sed si quis. 7. Inst. de Adopt. Suadent eadem Iuris divini exempla, Isaaci. Genes. 24. Samson. Iudic. 14. Tobie Iunioris. Tob. 6. Mandat Idem Ius divinum Exod. 22. vers. 17. Jerem. 29. vers. 6. Hinc Deus per Moysen (DEUT. c. 7. vers. 3. & 4.) filiam tuam, loquitur, non dabis filio Cananæ, nec filiam eius accipies filio tuo. Conferunt huc testimonia Poetarum, quorum autoritas in causis etiam civili-

civilibus non est aspernanda arg. l. in tantū. 6. § fin. ff. de rer. di-  
 vis. Quale est: Virginitas non sola tua est, ex parte parentum est:  
 Altera pars matri, pars est data tercia patri. plura vide apud  
 Anthon. Guib. lib. quaest. 12. num. 9. Neg. hisce contradicit ius  
 Canon. <sup>non</sup> Can. omnes §. ult. c. honorantur. c. hoc sanctum. 32. quaest.  
 7. Canon. aliter can. nostrates. 30. quaest. 5. can. sufficiat. 27. quaest.  
 2. Can. qualis 30. quaest. 2. c. 3. extra de sponsal. Impub. c. videtur  
 extra qui matrim. accus. possint cum multis similibus. Et hæc non  
 tantum secundum quosdam de honestate procedunt, sed etiam de  
 necessitate, quippe cum honestas in matrimonialibus habeatur  
 pro necessitate arg. l. semper. 197. ff. de Reg. Iur. l. semper. 42.  
 iunct. l. si qua. 12. §. 1. ff. de rit. Nupt. Dn. Præses in notis ad  
 l. filius. 25. ff. d. t. Dn. Boc. class. 1. disp. 19. th. 7. Vult. ad princ.  
 Inst. de nupt. vide Wesemb. in parat. num. 3. ff. de rit. Nupt.

XIV.

DE RITV NUPTIARVM.

Rati habitio mandato æqui paratur, (a) vltius er-  
 gò quæritur an hæc regula in nuptijs quoq; locum sibi  
 vindicet, ita ut liberi ex coniugio nati, absq; consensu  
 tamen parentum contracto, iusti & legitimi propter  
 supervenientem rati habitioem habeantur? Negativa  
 arridet. (b)

a) l. fin. C. ad SC. Maced. c. rati habitio de R. l. in 6. b) In nu-  
 ptijs namq; initium, non tempus rati habitioem spectamus l. quid  
 ergò. 13. ff. de his qui not. infam. Initium autem iniustum fuit, cum  
 consensus præcedere debuisset, tanquam essentialis forma. §. 1. &  
 §. si adversus. 12. Inst. de Nupt. cum notatis ad thes. præced. Et  
 consensum alicuius tertij ad integrandam personam contrahen-  
 tis, pro forma in usu iuris exigimus, textus express. in l. si quis  
 25. §. iussum 4. ff. de acquir. vel omit. her. Deinde rati habitio in  
 matrimonijs effectum saltem habet, quo ad cos liberos qui post eam



nascuntur l. eos. 6. in fin. ff. de rit. Nupt. l. & si. b. ibi. & ideo postea  
liberos. C. de nupt. adde l. Paulus 11. ff. de stat. hominum l. si vxor.  
13. §. si quis 6. ff. ad L. Iul. de adult. l. dotis promissio. 68 ff. de lur.  
dot. Dn. Boc. clas. 1. disp. 19. th. 8. & cl. 4. disp. 15. Carol. 1. Vult.  
ad princ. Inst. de nupt. num. 22. Hotom. illust. quest. 25. Huius tamē  
questionis rigor, hodie favore matrimonij vix attenditur. Acco-  
dit auctoritas iuris Divini. Num. 30. v. 4, 5, & 6. Deuter. 22. v.  
25. Exod. 22. 16. et sq. Adde quod hodiē rati habitio mandato aequi  
paretur in omnibus tām facti quām iuris questionibus. l. vlt. C.  
ad SC. Maced. l. donationes. 25. C. de donat. int. vir. & uxor. Vult.  
d. loco num. 20. in fin. Hackel. disp. 1. th. 15. & disp. 14. th. 7.

XV.

DE confirmando tutore.

Num tutor à patre filio emancipato vel alias non ri-  
tè in Testamēto datus, ex sententia verò præsidis confir-  
matus, (a) Dativus, an Testamentarius censeatur, di-  
versæ sunt Dd. opiniones. (b) Nos magis Dativum dici-  
mus. (c)

a) §. fin. Inst. de Tutel: l. in confirmando. 8. ff. de confir. tut. l.  
pater. 4. ff. de testam. tut. b) Vt videre est apud Hackel. disp.  
15. th. 2. Cædd. ab l. 30. num. 4. ff. de verb. Sig. c) Per l. qui à pa-  
tre. 3. ff. de confir. tut. qui enim confirmatur, dicitur ab Vlp. Da-  
tivus, in suis Inst. de tutel. §. Testamēto. 14. ibi qui Dativi appel-  
lantur. l. Iure. 26. §. fin. & l. idem fiet 27. ibi qui scriptura contine-  
tur à prætorè dabitur ff. de Testament. tut. l. vxori. 15. §. 1. ibi. ex  
decreto tutor dandus est, ff. ad l. Corn. de fals. l. pen. ibi. testamento  
dederit, eum prætor dare debet, ff. de cur. furio. Ad prætoris enim  
officium pertinet, inutiliter tutorem testamento datum, eundem  
confirmare l. 2. §. 1. C. de confir. tut. qui verò actum confirmat,  
eundē dedisse videtur l. lege. 130. ff. de verb. Sig. cum dare & con-  
firmare

firmare regulatiter paria sint arg. l. tutor. 20. §. i. de Test. tut.  
gloss. in l. neg. 2. §. 1. ad verb. solet. C. de confirm. tut gloss. in autb.  
matri. in verb. testamentarijs. C. quando mulier. tutel. offic. fung.  
pot. Dn. Bocer. cl. 2. disp. 14. th. 12. et disp. 15. th. 3. Dn. Obrecht. disp.  
de patroc. pupill. th. 329. & sqq.

XVI.

De Suspectis tutoribus.

Sed an Tutor suspectus ex lata culpa remotus infamia notetur, non absurdum erit quærere? nos affirmativam probamus.

Vbi enim infamia irrogatur ex proprio facto, lata culpa dolo assimilatur, cum lex magis facta in infamiam irrogantia, respiciat quam consilium l. liberorum. 11. §. notatur. 4. ff. de his qui not. in fam. iuncta l. 1. §. hæc actio 1. ff. si inensor. fals. mod. dix. cum multis sim. Deinde etiam in depositi actione ex lata culpa condemnatus infamis efficitur. l. quod Nerva. 32. ff. depositi. iuncta l. 1. ibi. mandati, depositi. ff. de his qui not. infam. ut & ille qui mandati actione oblatâ negligentia condemnatur arg. l. furti. 6. §. mandati. 6. ff. de his qui not. in f. §. ex quibusdã 2. ibi tutela, mandati etc. Inst. de pœn. temer. litig. l. 1. vers. qui pro socio, tutela, mandati etc. ff. de his qui not. infam. Cic. in oratione pro Roscio. vltimò per text. in l. impuperib. 7. §. 1. ff. de susp. tut. Dn. Bocer. cl. 2. disp. 14. th. 135. Treutl. vol. 2. disp. 9. th. 4. in fin.

XVII.

De Heredibus instituendis.

Causa Efficiens Testamenti voluntas testatoris est. Si Notarius ergò interroget testatorẽ, num Titium, Caiũ heredem esse velit, isq; respondeat, Volo, valebitne Institutio? Negamus quoad extraneam personam.

De substantia namq; testamenti est, testatorem proprio ore & voce

C 3



Vocet nomen vel nomina heredum exprimere l. Iubemus 29. vers.  
oportet. C. de Testa. hocq; ideo introductum, ut falsitas evitetur:  
Quod si Notarius contra fecerit, poenam falsitatis non evitabit.  
d. l. 29. vers. vlt. C. de Testam. Nec immerito inspiciendum num  
Notarius liberos, agnatos vel alium amicissimum testatori pro-  
posuerit, quos alias vero similiter heredes scripturus fuisset testa-  
tor: ut hoc sane casu institutio coniunctis hisce circumstantijs,  
tanquam ex ultima voluntate, valeat: Et maxime quidem, cum  
naturale parentum votum sit, ut descendentes eorum succedant l.  
de Emancipatis. 13. §. 1. ibi. & votum & c. C. de legit. hered. Sic  
quoq; ex coniunctione institutio & voluntas testatoris presumi-  
tur l. Coheredi. 41. §. qui discretas. 4. ff. de vulg. & pup. subst. A-  
micos itidem qui bene de nobis meriti sunt deficientibus legiti-  
mis, plerunq; heredes instituere solemus arg. l. nec adiecit 9. et du-  
ab. 19. ff. pro socio l. itemq; 10 §. fin. ff. mandati l. fin. §. pen. C.  
de Codicil. Cum singularis & arcta amicitia, fraternitatem qua-  
si efficiat. l. cum allegas. 4. C. de castr. pecul. milit. & praefect. L.  
12. Vnde etiam criminofum non est, iudicium uxoris postremum  
blando & maritali sermone in se provocare, l. vlt. C. si quis alij  
test. prohib. l. fin. ff. cod. tit. Wesemb. in parat. ff. qui te-  
stam. facere poss. num. 8. & ad §. vlt. Inst. de Testam. ordin. Vide  
Fach. 5. cont. 69.

XVIII.

### De Usucapionibus.

Dubitans ignorantem tanquam bonae fidei possessori æ-  
quiparatur, (a) variat itaq; nostri Dd. num dubitans ut  
bonae fidei possessor praescribat? Nos omnino nega-  
mus. (b)

a) l. fin. C. de condi& in deb. b) Per l. si fur. 32. §. si quis. 1. ibi  
vel quia in iure erranti non procedit usucapio ff. de usucap. At-  
qui dubitans et errans eiusdem conditionis sunt l. 14. in fin. & l. de  
statu. 15. ff. qui testamenta facer. poss. Deinde bonae fidei possessor  
est.



est, qui ignorat rem esse alienam l. bonafidei. 109. ff. de verb. Sig.  
 quæ bonafides ad usucapionem omninò requiritur, §. sed aliquan-  
 dò. ibi. si maximè quis bonafide. & §. si. ibi. bonafide. Inst. de usu-  
 cap. & toto tit. ff. de usucap. Dubitans verò credit rem esse  
 alienam l. fin. ibi. ridiculum etenim est dicere, vel audire, quod per  
 ignorantiam alienam rem aliquis quasi propriam occupaverit &  
 ver. §. C. vnde vi. Hinc dubitans de fide sua pro malo habetur  
 arg. cap. 1. ext. de hæretic. facit huc quod bona & mala fides sint  
 contraria, nec tertium recipiant arg. l. queritur. 10. ff. de Stat.  
 hom. Gædd. ad l. 109. nu. 3. de verb. sig. Wes. in par. ff. pro suo in fi.

## XIX.

## De Solutionibus.

Id quod debetur, pro parte rectè solvitur, Inquit Iu-  
 stinianus. (a) An fructuosa ergò se nobis offert quæstio:  
 Num invito creditori particularis solutio obtrudi pos-  
 sit? Id autem Turis ratio vix patitur. (b)

a) §. 1. in fin. Inst. quibus modis tollat. obl. b) l. Iulianus. 13. §.  
 offerri. 8. ibi. Si partem pretij. & §. Vnde 9. ibi si. parte pretij  
 soluta ff. de act. empt. iunct. l. si servus. 57. ibi. nisi. precium totum  
 solverit. ff. de edil. Edict. 2. l. his consequenter. 18. §. celsus. 4.  
 ibi nisi in solidum ei satis faciat. l. heredes. 25. §. idem. 14. ibi  
 non nisi univèrsum quod debetur offeratur &c. ff. fam. her-  
 cisc. iunct. l. qui pignori. 19. ibi. nisi accepto univèrso ff. de pignor.  
 l. in executione. 85. §. pen. ff. de verb. obl. 3. Quia si non hac lege  
 mutua pecunia data est, ut liceret & particulatim, quod acce-  
 ptum est, exsolvere, debitor nihilominus totius debiti usuras  
 præstare cogitur. l. tutor. 41. §. Lucius 1 ff. de usur. 4. Alteri per  
 alterum iniqua conditio non debet in ferri l. non debet. 74. ff. de  
 R. I. atqui solutio & exactio partium non minima in commoda  
 habet. l. planè. 3. in princ. & ibi. Accurs. ff. fam. hercisc. 5. Invi-  
 to creditori aliud pro alio solui nequit. l. 2. §. mutui datio ff. de re-

bus creditis aliud autem est totum debitum, aliud pars debiti arg.  
l. si dictum. 56. §. in stipulatione. 2. ff. de evictio. 6. Solidum non  
soluit tam is, qui nihil soluit, quam qui non totum l. ut si cui. 12. §.  
1. l. minus. 32. ff. de verb. Sig. iuncta l. solidum. 85. ff. de Solut. &  
hoc est quod dici solet, vnius obligationis vnam eandemq; Indivi-  
sam solutionem esse oportere. Hotom. ill. quest. 22. in princ. De-  
niq; favore libertatis particularis solutio tantum recipitur l.  
cum heres. 4. §. item si 6. ff. de Statu liberis. Specialiter item hoc  
receptum in tributarijs, quia multum in tributis gravantur l.  
placuit. 4. in princ. C. de Collat. fund. patrim. & Emphyt. gloss.  
in l. quidam. 21. in fin. ad verb. accipiendum. ff. de reb. cred. Gadd.  
in l. 32. num. 9. ff. de verb. Sig. & in tract. de contrah. stipul. c. 6.  
num. 265. & §. 9. & c. 12. Conclus. 1. nu. 3. Wesemb. in par. ff. num.  
7. de verb. Oblig. Arum. disp. 16. ad Instit. exercitat 2. verum  
licet hæc de rigore iuris procedant, humanius tamẽ & æquius fa-  
ciat iudex, si creditorem ad debitum oblatum particulare accipi-  
endum compellat. l. cum quidam. 21. ff. de reb. cred. d. gl. ad l. 21.  
verb. accipiendum. Vult. ad §. sicut autem. 2. n. 1. Inst. quib. mod.  
toll. oblig.

XX.

Adl. Quod in diem. 70. ff. de Solutionibus.

Ulterius ab Interpp. nostris dubitatur, debitorne  
quod in diem debet, invito creditori ante diem soluere  
possit? Et hoc ipsi permissum esse remur.

Dies enim debitoris gratia adijcitur. l. cum tempus. 17. ff. de  
R. l. l. cum. 41. §. 1. in fin. ff. de verb. Oblig. Vnicuiq; autem libe-  
rum est, eis, quæ pro se introducta sunt, renunciare l. pen. C. de  
pactis Deinde certissimi iuris est, quod creditori plus præstari pos-  
sit etiam invito text. express. in l. soluendo. 39. in princ. & in fin.  
ff. de negoc. gest. qui verò ante diem solutionem offert, plus solve-  
re videtur l. cum qui. 15. in fin. ff. de annuis leg. Tum quod certa  
die

die promissum vel statim dari potest, quippe cum totum medium tempus ad solvendum liberum promissori relinquatur l. stipulatio. 39. §. inter certam. 16. ff. de verb. Obl. Tum quod in diem debetur, ante solvi potest, licet ante peti non possit l. continuus. 137. §. cum ita 2. vers. nam quod in ff. de verb. Obl. tum si quis aliquo anno dare promittit, aut dare damnatur, ei potestas est quolibet eius anni die dandi l. quod quis. 50. ff. de obl. & act. l. quod certa die 70. l. qui decem 72. ff. de Solut. Gædd. ad l. 12. §. 1. num. 5. ff. de verb. Sig. Bronch. cent. 4. ass. 63. Forst. 1. part. disp. 19. th. 7.

## XXI.

## De Iniurijs.

Vbi remedium ordinarium, ibi non erit recurrendum ad extra ordinarium. (a) Hinc in disceptationem venit, an iniuriatus sibiipsemet Iudex & ultor per re-torsionem existere possit? Et quin hoc possit. (b) neglecta magistratus autoritate, modo in continenti fiat, (c) nulli dubitamus.

a) l. in causa 16. ff. de minoribus. b) cum difficilimum sit iustum dolorem posse reprimere, qui ex illata iniuria obvenit arg. l. si adulterium. 38. §. semper. 8. ff. ad l. Iul. de adult. qua ratione etiam provocato qui se vlcisci voluit, erit ignoscendum l. qui cum. 14. §. si libertus. 6. ff. de bonis libert. l. quæ omnia. 25. vers. nec ferendus est. ff. de procurat. 2. qui vim atq; iniuriam pro pulsat, Iure istud facit l. ut vim 3. ff. de Ius. & Iure. Iure autem utens non meretur pœnam l. Gracchus. 4. C. ad l. Iul. de adult. Neg. licet hic regerere. Ictum Florentium loqui de iniuria Reali non verbali. Nam satis notum, genus prohibens, speciem fieri non velle arg. l. non est dubium. 5. C. de ll. præterea honor & vita de pari procedunt, quinimò honor & fama magis defendenda quam corpus l. isti quidē 8. §. quod si 2. ff. quod metus causa l. in ser vorū. 10. §. fin. ff. de pœnis l. Iulianus. 26. ff. si quis omis. caus. testam. l. in

famia 8. C. de decur. L. 10. l. iusta. 9. ff. de manumiss. vind. Hinc  
crudelis dicitur, qui famam suam negligit. Can. voto. 12. quaest. 1. etc.  
C. non sunt audiendi num. quaest. 2. Sed vitae tuendae gratia, vim vi  
repellere licet, et quidem in tantum, ut etiam secundum omnia lu-  
ra cum moderatione inculpata tutela alterum occidere liceat. l.  
ut vim. 3. ff. de iust. & iur. l. itaq. 4. l. sq. l. scientiam. 45. §. qui  
cum aliter 4. r. ad l. Aquil. l. 1. §. vim vi. 27. ff. de vi & vi arma-  
ta. l. 1. & 2. C. quand. liceat vnic. sin lud. sc. vind. P. H. D. Ca-  
rol. 2. art. 139. & sq. Retorqueri ergo eodem modo quoad existi-  
mationem & honorem licebit. c) l. quod est. 3. §. cum igitur. 9. ibi.  
sed hoc confestim non ex intervallo l. qui possessione. 17. ibi in ipso  
congressu ibi. illic. ff. de vi & vi armat. l. sed & partus. 17. §. 1.  
ff. quod metus causa. Dn. Harp. in tract. crim. ad tit. de Iniur. §.  
haec actio. 12. num. 83. & sqq. Dn. Boc. cl. 5. diff. 1. th. 33. Gail. 2. obs.  
101. num. 1.

XXII.

Ad l. Corneliam de Sicarijs.

Vitanda est ebrietas, per quam crimina cavere non  
possumus. (a) Quid ergo, si per ebrietatem homicidi-  
um commissum sit, poenae ordinaria an extra ordina-  
ria Reus tenebitur? posterius volumus. (b)

a) c. sane discimus. 15. quaest. 1. b) per vinum enim lapso, capi-  
talis poena remittenda est, l. omne. 6. §. qui se. vers. per vinum ff.  
de re milit. Vnde etiam ei, qui per temulentiam Imperatori ma-  
le dixit, nulla poena irrogatur l. vnic. C. si quis Imper. maled. cum  
tale facinus ex levitate promanet d. c. sane infn. 15. quaest. 1. levi-  
tas vero contemnenda d. l. vn. ibi quod si ex levitate & c. C. si quis  
Imper. maled. Deinde ut homicidium poenam ordinariam merea-  
tur, requiritur dolus l. & l. in lege 7. ff. ad l. Corn. de Sicar. Qui  
vero per ebrietatem homicidij reus erit, in dolo ne utiquam est. l.  
perspiciendum 1. §. delinquitur. 2. ff. de poenis l. milites 12. vers. si ta-  
men

men per vinum ff. de custod. & ex hib. reor. Et quæ ratione dolus  
 à sapientibus argui fas erit, cū furioso similis habeatur. d. c. sane  
 & c. in ebria verunt. 15. quæst. 1. c. venter dist. 35. Dn. Harp. in  
 tract. suo crim. tit. de publ. lud. ad §. Item lex corn. num. 205.  
 & sqq. Dn. Bocer. in prælectionib. suis de homicid. & venefic. Et  
 talem homicidam etiam de Iure Wirtenb. excusamus. Sed vide  
 Ordin. Cur. Supr. Wirtenb. part. 3, tit. 25. von schmach vnd  
 schlag handeln. §. vlt. Dn. Harp. in tract. suo crim. tit. de In-  
 iur. ad §. non solum, II. num. 17. & sqq.

XXIII.

## DE FEVDIS.

Partum matris conditionem sequi, non statum pa-  
 tris, explorati iuris est. (a) Qua ratione quæri pote-  
 rit, an filij ex matre ignobili nati, patre verò nobili, in  
 feudis etiam succedant? dicimus quod sic. (b)

a) l. partum. 7. C. de rei vindic. b) Procreati namq; ex iustis  
 nuptijs patris non matris conditionem sequuntur l. cum legitima  
 & ibi gloss. ff. de Stat. homin. etiam quo ad dignitatem l. liberos.  
 10. in fin. ff. de senat. quoad originem. l. 1. §. qui ex duobus 2. ff. ad  
 municip. l. exemplo 36. C. de decurionibus. quoad familiam. §. 1.  
 in fin. Instit. de legit. agnat. tut. l. familia. 196. §. feminarum  
 ff. de verb. signif. quoad curialem conditionem. l. eas. 22. l. nullus.  
 44. iunct. l. si ille. 62. C. de decur. l. qui. 4. §. parentes. 3 & l. sq. ff.  
 de Injur. vocand. l. 3. 4. 5. & 6. ff. de his qui sui vel alien. Iur. ff.  
 Hinc etiam filius gentilitia matris insignia non gerit, sed patris.  
 Alciat ad d. l. familia. 196. §. feminarum. num. 5. ff. de verb. sig.  
 Facit huc tit. 29. L. 2. F. ubi pactum requiritur, ut filij nati ex  
 coniuge ignobiliore à successione feudorum repellantur, qua pro-  
 pter sine pacto eiusdè conditionis & iuris erunt per tit. 26. §. filij  
 nati. L. 2. F. quem Texcum. negare velle legimus Dn. Obrecht. d. sp.  
 de Feud. success. 10. th. 94. Deniq; nullum dubium est, quin filij ex

21111

D 2

391  
nobili matre nati in feudis succedant, per d. Iura. Atqui filij  
ex ea matre, quam parens plebeiam in vxorē duxit, nascuntur &  
procreantur ex matre nobili, quippè cum talis ignobilis femina  
per iustas Nuptias iam nobilis facta sit l. mulieris. 13. C. de dig-  
nit. L. 12. l. si libert. 28. C. de nupt. l. vlt. C. de incolis. l. 1. C. de in-  
lus vocand. l. 1. & 2. C. de vxor. mil. in sacris 12. C. de proxim.  
sacri. scrip. l. quoties. 3. C. de privilegijs Schol. Gædd. ad d. l. 196.  
de verb. Sig. Borch. de Feud. cap. 7. num. 56. Dn. Bocer. de Regal.  
Niel. disp. Feud. 11. th. 2 lit. b. Hodie tamen in collegia Canonico-  
rum superiora nemo recipitur, vel ad successiones ex privilegio,  
vel ad honores ex statuto speciali, admittitur, nisi qui à paterno  
& materno genere longam & certam seriem nobilium maiorū e-  
dere possit. **Wollbärtige Ritterleuth die ihre Ahnen mit  
Schilt vnd Helm beweisen müssen.** Treutl. vol. 1. disp. 2.  
th. 10. b.

XXIV.

#### De Iurisdictione.

Colophonem disputationi addat hæc dubitatio. Si  
princeps nobili alicui Iurisdictionem in Feudum con-  
cedat, hoc modo, **Wir belohnen ihn in diesem Flecken  
oder Dorff mit dem Gericht:** An hæc Iurdictio se ex-  
tendat quoq; ad istas incolas, qui post concessionem  
oppidum aut pagum accesserunt? Quod Affirmamus,  
(a) Nisi ipsa concessio Iurisdictionis certis limitib. cir-  
cumscripta sit. (b)

a) per t. 4. §. si quis. 5. L. 1. F. l. proponebatur. 76. ff. de iudic.  
arg. l. si ex toto. 8 in pr. l. grege. 21. & l. 19. de leg. 1. l. cum fundus.  
10. ff. de legat. 2. l. locus 60. vers. nec non & fundus. ff. de verb. sig.  
l. id quod. 7. ff. de peric. et commod. rei vend. cū similibus. Accesso-  
rium enim sequitur naturam principalis. c. accessorium. de R. I.  
in 6. b) arg. l. in agris. 16. in princ. ff. de acquir. rer. dom. Dn. Bo-  
cer. cl. 4. disp. 13. th. 29. & ibi alleg. Dd.

FINIS.

ULB Halle  
004 486 080

3




KOM









B.I.G.

Farbkarte #13

453

CELLÆ,  
 RIIS  
 E JV.  
 RIIS  
 2004  
 15  
 adijs  
 PMO  
 NYSIO  
 RISON.  
 antecessore  
 nensi  
 locoq; cons  
 de-  
 die 26 Jan.  
 WEIL.  
 71,  
 MARTINVS.

